

MICHAËLIS
A M A T I
PRESBYTERI NEAPOLITANI

D E
OPOBALSAMI
S P E C I E

Ad Sacrum Chrisma confi-
ciendum requisita

DISSERTATIO

Historico - Dogmatico - Moralis.



NEAPOLI MDCCXXII.

Typis FRANCISCI RICCIARDI.

Ex Publica Autoritate.

כלתו מחתוך אלה שמי יהעבך
אזרודא לבוח אלה שמי דילמת
להוא קער;

Omne quod ad ritum Dei Coeli pertinet,
tribuatur diligenter in domo Dei Coe-
li: ne forte irascatur.

I. Esdræ VII. 23.

BENEVOLO LECTORI
Felicitatem.

Tanta est hinc temporibus scripturandi libido: tantaque librorum mole jam penè obruimur: in quibus vel re-
coquunt crambem. Autores, et linepta prora-
sus, & spongia potius delenda, quam Ty-
pis donanda oculis legentium obrudunt,
et facile mihi persuaserim, Candide Le-
ctor, hanc, quam tibi exhibeo Opellam,
vel ad inanem ostentationem antiquas
eruditionis, qua certe minime pollere pro-
fiteor scriptam, fore censendum, vel ca-
dūt axas praeferre, quae jam ab aliis in-
signis notae Scriptoribus, vel ad naufragia
scripta, & pertractata sint, ac proinde
futilem, & indignam, quae vel cursim le-
gatur. Fadurus sam ergo operae pretium,
si tibi ipso in linine scribendi rationem,
& causam, & quae legenda proponam
ingenue, & siue fuso explanem. Istu quae
sint, paucis accipe. Elapsi mensis die ter-
tia ad ornatissimum Oratorium, rotunda I-
talie celebratissimi Pharmacopoli, Mo-
nasterii FF. S. Francisci a Pugliu S. La-

a 2 do:

Doxico dicati ad Palatium, ut aijunt Nostrates, ut facerem de more, summo mane me contuleram. Sed ecce tibi Sacerdos quidam ejusdem Familiae a Fr. Franciscio Vassallo Viro supra ceteros omnes tam praeclarae artis Chymicae peritissimo praelaudato Pharmacopolio Praefecto, Opobalsamum ad Sacrum confidendum Chrisma expetebat. Sciscitabatur Praefectus Peruvianus, an Tolutanum exquireret. Sacerdos vero se ejusmodi rerum ignorum profitebatur: ajebat duxar ab Ill. Nicoterensi Episcopo, sibi commissum, ut Opobalsamum, & quidem optimum, habendum, eiique quam citissime transmittendum curaret: cuius vero speciei ne bilum quidem in Epistola ejusdem Praefuli. Tum me intuitus idem Praefectus interrogavit, quam Opobalsami speciem, esset datus, ut Sacrum Chrisma recte ex Ritu Ecclesiae conficeretur. A qua tu ego haesisti: ut pote cui non suppetebat memoria ea de re satis in Autoribus Sacris legisse. Id tantum reposuit Opobalsamum ad Sacrum Chrisma necessarium esse scio, sed cuius speciei ignoror.

70.

ro. Puto tamen aptum esse illud, quod in
Indicarum nucum putaminibus advechi-
tur: in mentem enim veniebat, ubi rerum
Indicarum Scriptoribus illud, tamquam
optimum celebrari. Auscultavit bonus
ille Vir, & ejus speciei Opopobalsamum ex-
peteti Sacerdoti ad praecaudatum Prae-
fulem remittendum dedit. Ego vero cum
facisset, domum reversus statim ad rem
diligentius pervestigandam animum ad-
jeeci: cumque permultos tum profanos, tum
Sacros consuluisse Scriptores, depre-
bendi me in consilio, quod dederam hanc
errasse. Laetabundus proinde rem po-
stridie eidem Fratri retuli, at ille ob-
nus sit, ut primum: deinde clare locutus,
ait: se aliter a duobus Episcopis, qui
praececdenti die occidente jam Sole ad-
suam venerat Officinam, accepisse: eosque
professos, se Opopobalsami Peruviani, spe-
ciem liquidi scilicet, ac nigri in confiden-
do Chrismate adhibuisse. Quamobrem
enixe precabatur, ut que ea de re studio
comparaveram literis mandarem. Ita
enim caussam istam antiquitatis late-
bris adhuc delitescensem in medium pro-

la-

lucem, ac e tenebris eratam clarius patet
faciendum esse aiebat. Re igitur matu-
riss discussa, obsequandam Amico censui,
Et eo vel maxime, cum apud neminem ex
Autoribus de Confirmationis Sacrauen-
to agentibus, quaestione satis promer-
to ad examen revocata per spexisse. Es
igitur, Candide Lector, scribendae Differ-
tationis caussam, Et materiem. Qualis
qualis futura sit, eam tibi bilari, prom-
ro quo anima exhibeo. Tu cum nequibon
niique consule: Si quaedam habeat, quae
probanda sint, calculam adde: si autem
non satis digna videatur flammis devo-
re: non renuo, quin, Et manus do: si non
nulla adjicienda emperceris adjice, Et pro
Sacra literaria Republica laborare ne
graveris. Ceterum si munusculam, quad
praebeo respuendam existimos: benevo-
lum saltem animam, reditamque mentem
pro tua benignitate commendam. Vale.

Dabam Neapoli Idibus Martii
MDCCXXII.

*Rev. D. Julius Nicolaus Tornus Examinator
Curiae Archiepiscopalis revideat, & referat.
Neap. a. Martis 1722.*

*D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.
Eminentissime Domine.*

Ilibrum mole exiguum, re magnum, cui Titulus: *De Opobalsami specie ad Sacrum Chrisma conficiendum requisita, Auctore D. Mercabaeo Amato Presbytero Neapolitano, Em. V. usur gente auctoritate, quam adtentissime perlegi: nihilque in eo, quod ad nostrae Catholicae Fidei, aut Christianae morum disciplinae amissim non sit exactum, deprehendi. Porro Auctoris ingenium, stili elegantiam, multigenam tum Sacram, tum profanam eruditionem; & ut ita dicam, curiositatem, sum maximopere admiratus. Gratiæ vero sunt illi habendæ, quod rem adeo obscuram, & hactenus non satis discussam, & quidem Sacris Ministris Sacro Chrismati confiendo præpositis quammaxime necessariam, tanta facilitate, ac doctrina explanet: nec minori studio, & labore ex variorum Auctorum voluminibus expromat. Dignum igitur existimo librum, qui publica luce donetur, dummodo Em. V. Auctoritas non desit. Datum Neap. xv. Calendas Aprilis anno Christianæ Epochæ ccccxxii.*

Em. V. Humillimus, Obsequientissimus,

& Additissimus Famulus

Julius Nicolaus Tornus.

Attento dilla relatione imp: imatur. Die 16. Apr. 1722.

D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

*Rev.D.Cyrus de Alteriis videat, & in scriptis
referas.*

Mazzaccara Reg. Viloa Reg. Alvarez Reg.
Giovene Reg.

Provisum per S.E.Neap.die 23.Martii 1722.
Mastellonus.

Excellentissime Princeps.

Dissertationem Historico-Dogmatico-Mo-
ralem de Opobalsamo ad Sacrum Chri-
stma conficiendum requisito, a D.Michaele Amato
Neapolitano Presbytero conscripta, sedulo per-
legi; nihilque Jurisdictioni Regiae in ea nactus
sum minus consonum, immo vero summam
eruditionem, atque elegantiam singularem,
Quare, ni secus E.V. videatur, typis mandari
posse tanti Viri labores existimos; quemadmo-
dum mihi admirandos, ita rerum Ecclesiastica-
tum studiosis apprime utiles. Neapoli xv.i. Ca-
lendas Aprilis MDCCXXII.

E.V.

*Additissimus, & Obsequentiss. Servus
Cyrus de Alteriis.*

*Stante supradicta relatione imprimatur; ve-
rum in publicatione servetar Regia Prag-
matica.*

Mazzaccara Reg. Viloa Reg. Alvarez Reg.
Giovene Reg.

Provisum per S.E. Neap.die 14.Aprilis 1722.
Mastellonus.

DECIMUS
OPOBALSAMI
SPECIE

*Ad Sacrum Chrisma conficiendum
requisita*

DISSERTATIO

Historico-Dogmatico-Moralis.



E Opopbalsami specie, ad Sacrum conficiendum Chrisma ex Catholicae Ecclesiae Ritu requisiti, verba facturus, officii esse duxi, hujus Dissertationis in limine, nonnulla de origine & causa commisionis Opopbalsami cum oleo in praefati Chrismatis confectione breviter adferre. At vero priusquam de tempore, quo hujusmodi usus in Ecclesia inoleverit, differamus, illud cum primis animadvertisendum est, quod quamvis apud Orientales Confirmatio-
nis Chrisma, tum olei, tum triginta-quin-

A que

que Aromatum, seu herbarum exquisiti
odoris speciebus, cum vini non exigua
quantitate admissione conficiatur, ut in
eorum *Euchologis* videre est, ubi de
Chrismate agunt, & apud *Justinum Martynem*(a) in *Dialogo cū Triphone*, ubi etsi
non explicit, quaenam fuerint illae Aro-
matum species, fatetur tamen in genere
ex pluribus Aromatum simplicium com-
positione coalescere: Apud Occidentales
tamen ex oleo olivarum dumtaxat, &
Opobalsamo conficiendum esse, tum alia-
rum Ecclesiarum, tum Ecclesiae Roma-
nae, & antiqui & moderni Rituales edi-
cunt. Id vero potissimum constat ex
Sancto Gregorio I., cognomento Ma-
gno, (b) haec scribente in illa verba Ca-
pitii I. Cantic. *Betrus Cyprī dilectus*
meus in vineis Engaddi. In Engaddi, in-
quit, Balsamum gignitur quod cum oleo

Pon.

(a) *Floruit seculo II. c. an. CXL. Triphonem istum,*
cum quo Justinus disputat, Eruditissimam eun-
dem fuisse, quem Judaei Rabbi Tarphonem, & vul-
go Sacerdotem divitem vocant, Rabbi Achibae col-
legam & commilitorem: qui ob rebellionem in Barco-
chanbe excitatam, Patria relicta in Graeciam se
contulerat. (b) Seculo VI. labente vitam ducendam
circ̄ an. D XC.

Pontificali benedictione Chrisma effici-
tur , quo dona Sancti-Spiritus expri-
muntur . Et in Lib . Sacram . eidem Sancto
Pontifici adtributo , (a) in Coena Domini ,
quando Chrisma benedicitur , legitur :
Praeparantur ampullae duas cum oleo ,
quarum melior defertur Pontifici , ut
accepto Balsamo , & commiscituro cum
oleo , manu sua impleat eam . Ita quoque
Venerabilis Beda (b) in idem Caput I .
Cantic . ad eadem illa verba , Botrys Cy-
pri , &c . In vineis , ait , Engaddi Bals-
mum gignitur , quod in Chrismati con-
fessione liquori olivae admiscerit , ac Pon-
tificali benedictione solet consecrari ,
quaenam fideles omnes cum impositione
manus Sacerdotalis , qua Spiritus-San-
ctus accipitur , hac unctione signetur . Idem
legitur in Libro de Divinis Officiis , qui

A 2 Al-

(a) Praefatus Sacramentorum liber , vulgo S. Eligii
Missale nuncupatur . Vide , quae de eo scribit Hugo
Menardus in ejus Praefatione ; (b) Seculo V III
incipiente aetatem agebat circa an . DCCI de hujus
S . Doctoris Operibus tum editis , tum MSS . obser-
vandum est , quid scribit Jo . Mabillonius in seculi
Benedict . seculo III . Part . I . pag . DXXXIX , & DLV .

Alcuino (a)tribuitur, & apud Amalarium. Me tensem Diaconum (b) in Libro I. de Ecclesiasticis Officiis, cap. xii. & tandem alijs omissis, Eugenius IV (c) in Decreto pro Instruccione Armenorum, de Confirmatione loquens, inquit: Cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, & Balsamo, quod odorem significat bonae famae. His ergo praelibatis, videndum modo est, quo tempore hic usus admissendi Opobalsamum cum oleo pro sacra unctione, in Confirmationis Sacramento peragenda, in Ecclesia coeperit.

Et

-
- (a) *Alcuinus, sive Flaccus Alcuinus, vel Albinus flor. seculo III. c. an. DCCLXXX. Liber de Divinis Officiis, sive Expositio Romani Ordinis habetur sub ejus nomine inter alios Scriptores ejusdem argumenti suepius editus. Alcuini autem non esse, & post annum M. scriptum esse certo certius constat.*
- (b) *Amalarius Metensis Diaconus, seu, ut alii volunt, Metensis Corepiscopus inter vivos degebat seculo IX. c. an. DCCCXII. De hoc opere de Divinis, sive Ecclesiasticis Officiis sic Bostonus Buriensis: Scripsit Amalarius ad Ludovicum Regem de Offic. Eccles. lib. IV. quorum principium (Gloriosissime) finis (Orationes); unde liquet, postrema duo IV libri Capita adjectitia esse; sicut nec in Indice Capitulorum IV libro praefatio ea comparent. (c) Flor. seculo XV. circa an. MCXXXI.*

Et quidem ante sextum séculum , nec apud Orientales, nec apud Occidentales in usù fuisse videtur . Apud Scriptores enim Graecos ante IV séculum, qui Confirmatoriae Unctionis meminerunt , de praefata Opobalsami admistione cum o- leo altum silentium est, ut apud praelau- datum *Justinum Martyrem*, *Basilium*(a), *Cyrillum Jerosolymitanum*(b), & *Diony- sum Lib. de Ecclesiastica Hierarchia*(c) observari potest.

Ante quoque sextum séculum nullus inter Latinos invenitur Scriptor , qui de hac admistione loquatur:nec *Tertullianus* enim(d), nec *Cyprianus* (e), nec *In- nocentius Papa I.*(f), nec *Augustinus*(g), quamquam omnes de Chrismate frequē- ter locuti sunt, praedictae admisionis

A 3 um-

-
- (a) Seculo IV .in vivis erat c.an.CCCLXX. (b) Eo- dem seculo IV .flor.c.an.CCCL. (c) Dionysius flor. seculo I.c.an.I. Sitne bujus Dionysii praed. lib. alioque eidem attributa opera , *Eruditis exame- nandis* relinquimus sufficit enim nobis, ut eorum quisquis fuerit autor ante VI. séculum scripserit. (d) Seculo II. vivebat c.an.CXCI. (e) Seculo III vitam agebat c.an.CCXLVIII. (f) Flor.cirea se- culi V .initium, an.CCCCII. (g) Vitam duxit se- culo IV & V ,c.an.CCCXCV I. usque ad CDXXX

umquam meminerunt. Unde illam inter Latinos circa sextum tantum seculum usurpatum fuisse, fatendum est, de qua postea *Gregorius I*, cuius verba supra retulimus, & *Gregorius Turonensis* (a) scripsierunt.

Hic autem notandum, ne ab aliquo opponatur, antiquorem esse hunc usum in Ecclesia, ex eo quia *S.Cyprianus Lib.de Cardinalibus Christi Operibus ad Cornelium Papam inscriptum*, in Serm. seu Tract. *De Unctione Chrismatis & aliis Sacram.loquiendo de iis, quae in Feria V. Coenae Domini fiunt*, scribit: *Hodie in Ecclesia cum ceteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, sacrum Chrisma conficitur: in quo mixtum oleo Balsum Regiae & Sacerdotalis gloriae exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis, divinitus est unctionis instituta*. Qui locus praesertim laudatur ab *Hugone Menardo* (b),
Wil-

(a) *Seculo VI in vivis erat c.an.DLXXXIII.* (b) *In notis, & obseruad lib.Sacram.S.Gregorii Papae I. in notis ad Fer.V.in Coena Domini.*

(?)

Wilhelmo Lindano (a), & Vincentio Contensonio (b). Non, inquam, id obstat: praefatum enim opus, in quo duodecim Sermones, seu Tractatus de Christi nostri Redemptoris Operibus habentur, Sancti Cypriani non esse, omnes Eruditi fataentur, ut videre est apud Bellarminum (c), Hesellium (d), Possevinum (e), Antonium Arnaldum (f), Guilielmum Cave (g), certisque praetermissis, Natalem Alexandrum in sua Hist. Eccles. (h), ubi scribit: Supposititum esse hoc opus Cypriani, ex eo quia nec vetera MSS. Cyprianicorum Operum illud exhibent, nec stylas Cyprianum sapit, nec doctrinam Cypriani. cum consonat. Id, quod etiam notavit ci-tatus Bellarminus: Unde, ut praelaudati Cave & Alexander advertunt, aliquique ex modernis Scriptoribus, praedictum opus esse Arnoldi Bonae-Vallis Abbatis

A 4 in

(a) Panopliae Evang. lib. IV. cap. XXVI.

(b) Tom. II. Theolog. mentit & cordis lib. XI. p. I. Dissert. IV. cap. I. Specul. II. (c) Lib. de Script. Eccles. (d) In Cens. (e) Lib. de Cens. sub una specie. (f) De freq. comm. p. I. cap. XI. (g) In Hist. liter. Scriptor. Ecclesiast. (h) Seculo III. cap. XIV, art. IV. n. III.

in Dioecesi Carnotensi, qui seculo XII
vixit sub *Hadriani IV.* Pontificatu, quod
praesertim constat ex *Codice MS.* Oxo-
niensis Collegii omnium Animarum, qui
hunc librum representat sub nomine
praefati Abbatis ad *Hadrianum Papam*
inscriptum.

Et ne maleferiati quidam homines
ultra nobis circa hunc usum obganniant
adferendo misionem hanc Opopalsami
cum oleo in Confirmationis materia , si-
cut & unctionem ab Heterodoxis San-
ctam Ecclesiam mutuatam esse , ex iis,
quae scribit *S.Irenaeus* (a) *Lib. I. cap.*
xviii. quo loco Valentinianorum insti-
tuta recensens , unctionis etiam ceremoni-
am eis adnumerat: ait enim, *Post de-
inde ungunt Sacratum Opopalsamo . Un-
guentum enim hoc typum dicunt ejus
suavitatis, quae est super universa. Qui-
dam autem eorum adducere quidem ad
aquam supervacuum esse dicunt : admi-
scentes oleum & aquam in unum cum
quibusdam profanis dictioribus simili-
bus, que supra praediximus , mittunt
su-*

(a) *Flor. seculo II. circa an. CL.XVII.*

*Super eorum caput, qui sacrantur, & hoc
esse redemtionem volunt, ungunt autem
& ipsi Opopalsamo.* Id, quod praesertim
*Heracleonis Sectarii ex Valentinianae
Haereseos fonte fluentes observabant,*
qui tamen suos, dum animam agerent,
novo quasi modo redimebant: Oleum,
vel Opopalsamum aqua temperatum ip-
forum capitibus infundentes; & invoca-
tiones quasdam Hebraicis conceptas no-
minibus adhibentes, quibus muniti a su-
perioribus Principatibus, & Potestatibus
coerceri, viderique non posse dictabantes;
inferioremque ipsorum hominem sursum
posset a nemine conspectum evadere, de
quibus *S. Epiphanius* (a) scripsit *Haeresi*
xxxvi.

At, quam ridicule ista effutiant Nova-
tores pluribus demonstratur. I quia, ut
recte advertit eruditissimus *Petrus Da-
niel Huetius* (b), omnes Sacramentorum
materiae sumtae sunt ex rebus communi-
bus & obviis, ex aqua nempe, oleo, Bal-
sa-

(a) *In vivis erat seculo IV. circa an. CCCLXVIII.*

(b) *In Alnetanis quaest. de concordia rationis & fa-
dei, cap. XX.*

satio, pane, vino; quin & ex earum quicunque quotidiano & frequenti usu, perceptisque inde utilitatibus designari Sacramentorum peculiares effectus, nemo, qui Catholicus audit, ignorat. His vero etiam rebus, quamquam superstitiose, Ethnici utebantur in suis Ritibus; at non propterea deducitur, ab illis Christum Dominum & Sanctam Ecclesiam, in Sacramentorum materiis & Ritibus stabilierendis, res & ceremonias accepisse. II, quantum adtinet praeferit ad commissione Opobalsami cum oleo in Sacro Chrismate confiendo, cur non hoc vetius fatendum est, ex Sacris Literis Sanctam Ecclesiam desumisse, ut sacrae Inunctionis in Confirmationis Sacramento mysteria magis exprimerentur; praesertim propter Opobalsami fragrantiam, quae Eccl. xxvi. 20. his exprimitur verbis: *Sicut cinnamomum & Balsamum aromatizans, odorem dedi.* & v. 21. *Quasi Balsamum non misum odor meus.* Etenim ex Opobalsami odore addiscere satis possunt Fideles Confirmati, sibi licere cum Apo-

Apostolo dicere (*a*): *Christi bonus odor sumus.*

Sed enimvero hunc Unctionis Ritum, quis inficiari potest, illum Sanctam Ecclesiam e Scripturis accepisse, non solum quantum ad eam, qua in Baptismo, Confirmatione, Sacra Ordinatione iutitur; verum etiam quantum ad illam, quam in Ecclesiarum Dedicatione, Regumque Consecratione adhibet. Et quidem antiquissimum hunc morem fuisse, vel Jacobi exemplum ostendit (*b*): lapidem enim, quo erat usus pro cervicali, Deo dicavit *soleni aspersione olei*, curi in somnis vidisset Angelos Dei de Coelo adscendentes & descendentes; qua visione veluti contritus exclamans dixerit: *Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi Dominus Dei & porta Coeli.* Ex quo loco praecipue Eruditi colligunt, libamen olei non in Sacrificiis tantum, sed extra Sacrificia, ubi quid consecrabatur, sanctificabatur & Domino dicabatur, adhiberi sueuisse (*c*). Quem Ritum olim usitauit.

(*a*) *II. Cor. II. 15.* (*b*) *Genesis XXVIII.* (*c*) *Spencer. de LL. Hebræor. rit. Differt. III. de Purif. & Lustrat. Hebr. in fine.*

tissimum ; nec in se superstitionis Deus adprobavit, voluitque, ut *Moyses* hoc ipso Tabernaculum, ceteraque sibi dicaret, sanctificaretque . Methodum Christum hoc conficiendi praescribit *Exodi* xxx. 23, & seqq. additque : *Facies unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, & unges eo Tabernaculum testimonii, & Arcam Testamenti, mensamque cum vasis suis, Candabrum & utensilia ejus, Altaria Thymiamatis & holocausti, & universum supellestilem, que ad cultum eorum pertinet, sanctificabisque omnia, & erunt Sancta Sanctorum.* Qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios ejus praeterea unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mibi. Idem praeceptum ulterius repetit *Exodi* xxxx. 9 , & seqq. Quod, & *Moyses* sedulo implevit, ut liquet *Num. viii. 1*, & *Levit. viii. 5. 10. 11.* Et quia Sacerdotes itidem Deo consecrabantur, olei aspersione purgandi, sanctificandique erant, juxta mandatum Dei (a). Quo praeterea ritu Christum adum-

(a) *Levit. viii. 12.*

dumbrari, constat ex variis Scripturae locis (a). Reges quoque per inunctionem cōstitutos fuisse, ex *Jouthami Apologo* (b), patet : *Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem.* Quemadmodum etiam postea Reges *David*, *Saul*, ceterique uncti sunt (c), ut Sancta eorum Persona esset inviolabilis, Deoque sacrata ; quam subditi eo amplius venerarentur, ac se subjectionis legē adstrictos sentirent, nec eam unquam violarent.

Postquam vero Sacerdotium exterum in N. T. desierat mystica ratione, quae de Sacerdotio & unctione in V. T. praecepta erant, in N. T. ad omnes fideles applicantur, quippe qui coram Deo facti dicuntur *Sacerdotes* & *Reges* per unctionem spiritualēm (d), quae omnibus fidelibus communicata est (e) ab ipso Christo vere uncto, unde etiam nomen accepit, & fidelibus suis communica-

ca-

(a) *Psal. XLV. 8.* (b) *Judic. IX. 9.* (c) *I. Samuel. X.*

i. -- XVI. 14. --- I. Reg. I. 39. -- II. Reg. IX. 6. 9.

(d) *Apocal. I. 5. -- VI. 10. -- I. Petr. II. 5. 9.*

(e) *Joan. I. 16. & II. Joan. II. 20. 27.*

cavit, quod vocentur *Uncti*, seu *Christiani*.

Hoc ipsum, quod spiritualiter de omnibus fidelibus Scriptura Sacra praedicat, Christiani signis quibusdam externis exprimere voluerunt: & inde varia unctiōnum genera reperta sunt, de quibus mentionem injicit *Innocentius III.* in Decreto Epistola Patriarchae Constantinopolitanō missa (a): *Quia vero, inquit Pontifex, Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro Regnum & Sacerdotem, propter quod Petrus Apostolus ait: Vos estis genus electum, Regule Sacerdotium: iesi circa in Novo Testamento, non solum Sacerdotes & Reges unguntur, sed omnes Christiani bis ante Baptismum, sed oleo benedicto, primum in pectore, deinde inter scapulas; & bis post Baptismum, sed Chrismate Sacro, primum in vertice, secundum in fronte.*

Nec officit, quod simili rerum unctiōne utebantur quoque Ethnici; qui tamen eo detinebantur errore, ut lapides, quos inun-

(a) Anno MCCIV. & habetur Cap. unico extr. de Sacra Unctione

Inunxissent, adorarent, divinitatisque nescio quid ea olei perfusione eis superibili crederent, ut innuit *Lucianus* (a); & testatur *Arnobius* (b). *Quin & Joannes Clericus* (c) ostendit, frequentissimum olei usum fuisse in Sacris Ethnicorum, & imprimis Aegyptiorum Ritibus. Etenim haec omnia perpendens *S. Augustinus Lib. xvi. de Civ. Dei, cap. xxxviii.* Jacobi gesta expendens, rectissime ait: *Non esse ea comparanda Gentilium superstitionis ceremonias: quandoquidem, quod Jacob, inquit, fecit, ad Prophetiam pertinet. Neque enim more Idolatriae lapidem perfudit oleo, quasi faciens eum Deum; neque enim adoravit eum lapidem, neque ei sacrificavit, &c.* Ex quibus nemini non innotescit, morem inungendi res Deo dicandas, quamquam aliquatenus & a Gentibus usurpatum; longe tamen diversa ratione & fine ab Ethnicis, ac a Fidelibus, quibus vera illuxit Religio, ad praxim reductum fuisse: siquidem Ethni-

(a) *In Alexand. Pseudomante post medium de Rutelio Romano loquente.* (b) *Lib. I. advers. gentes.*
(c) *In not. ad Judic. IX. 9.*

Ethnici ea, quae a Fidelibus acceperant, ad superstitionem, & Idololatriam deflexerunt(a), ut *Valentinus*, ejusque sectarii etiam egerunt, a quorum tamen iniquitate & abusu semper abhorruit, & abhorret Sancta & Catholica Ecclesia, ut ex iis, quae diximus, satis abunde liquet.

Postremo, ut tandem Heterodoxorum ora prorsus occludamus, operaे pretium est, nonnulla, quae manuum impositiōnēm ad Confirmationis Sacramentum requisitam contingunt, proferre. Quia in re illud est cumprimum recolendum, manuum scilicet impositionem Ritum fuisse, quocum preces, aut benedictio conjungebantur, ut Veteris Instrumenti literae nos docent. Primum est adhibita ea ceremonia a Patribus erga liberos, quibus bene adprecari volebant, & partem facultatum relinquere: sic *Jacobus* bene precaturus filiis *Josephi*,(b) eorum capitibus

(a) Quae posteriores Ethnici ex Christianismo in Gentilismum transveverunt. Vide in Epist. Juliani Caes. ad Ursacium summae Galatiae Sacerdotem, quae integrā adfertur ab Antonio Vandalе in Dissert. Antiquit. quin & Marm. &c. Dissert. I. cap. I. (b) Genes. XLVII. 14.

tibus manus imponit. Deinde usurpata fuit ad significandam participationem potestatis cum aliis, aut ejus ad successoris transmissionem: Sic cum *Moyses LXX* Viros adjutores sibi creavit (*a*), factum hoc est, ut putat *Maimonides* (*b*), impositione manuum. Itidem cum morti vicens esset, & Josuam successorem designaturus, Deus eum jussit (*c*), *adsumere Josuam & manus ei imponere*.

Triplicem ergo hunc morem imitata videtur Ecclesia in *Novo Testamento*, iisdemque actionibus manus impositionem praecipue adcommodasse. In precibus adhibetur, sive carentur morbi, sive remittantur peccata. Corporis aegritudines, corporea scilicet vincula (*d*) curabantur manuum impositione (*e*), prout praedixerat Christus (*f*). Similiter peccata, spiritualia vincula solvebantur eodem Ritu: quandoquidem poenitentes impositione manuum adhibita, absolvebantur. Hinc ad *Hebraeos VI. 2.* sicuti

B Bap-

(a) *Num. xi. 17.* (b) *Sanbed. cap. iv.* (c) *Num. xxviii. 18.* (d) *Lucae xiiii. 16.* (e) *Auctor. xix. 17. & xxviii. 8.* (f) *Marci xv. 18.*

Baptismatum nomine denotantur ceremoniae, quas Judaei & Christiani usurabant in admissione Proselytorum, sic impositione manuum significatur receptio Proselytorum, qui post Baptismum erant lapsi, ut scite advertit *Jobannes Clericus in praed.c.vi.ad Hebr.*

Qui Ritus etiam in Primitiva Ecclesia, juxta Apostolicum documentum servabatur, ut praesertim constat ex Concilio Carthaginensi III, (a) ubi decretum est: *UT Presbyter, in consulo Episcopo, non reconciliet poenitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente, Cujuscumque autem poenitentis publicum, & vulgarissimum crimen est, quod Universa Ecclesia noverit, ante Absidem MANUS EI IMPONATUR.* Et ex Concilio Carthaginensi V (b), in quo legitur: *Presbyteris & Diaconis, si quando de gravi aliqua culpa convicti ministerio remoti fuissent, MANUS NON IMPONERENTUR, UT POENITENTIA.*

(a) *Celebr. Anno CCCXCVII. sub Siricio Pontifice Can. xxxii.* (b) *Celebr. Anno CCCXCVIII. sub Anastasio Pontifice, Can. xi.*

TENTIBUS. Et tandem ex Concilio Agatensi (a), ubi statutum invenitur: *Poenitentes tempore, quo poenitentiam petunt, IMPOSITIONEM MANIUM, & Cilicum super caput a Sacerdote (sicut ubique constitutum est) consequantur.*

Ex Ritu vero paternis benedictionibus manuum impositionem adjungendi forte profluxit impositio manuum in benedictione puerorum (b), qua impositio ne significabantur apti esse, qui per Baptismum in Ecclesiam admitterentur; quippe quorū misericordia Dei in Christo erat Regnum Coelorum, hoc est, Ecclesia in hac vita, & Coelum post mortem. Ad hanc benedictionem respicit (ut videtur) Ritus, quo Catechista dimittet bates eos, quos instituebat antequam baptizarentur: unde Eusebius lib. iv. de Constantini vita, de ipso, qui sese baptismō parabat, scribit: *Cum confessus esset, nimirum peccata, & fidem, manum impositione precum particeps factus.* Et Scri-

B 2 ptor

(a) *Celebr. Anno DV I. sub Symmaco Pont. cap. xv.*

(b) *Marci x. 16.*

ptor Constitutionum , quae Apostolicae dicuntur,(a) memoratis iis , quae Cathe-cumenum doceri necesse est , subjicit :
Adoret, qui manus ei imponit, Deum.

II. Ex consuetudine imponendarum manuum Successoribus, vel Adjutoribus in V.T. ortum duxisse videtur mos im-ponendi manus Episcopis, & Diaconis, cum ordinabantur(b) , ad quod manuum impositionis genus respicere Paullum , multi existimant , cum ad Timotheum scribens(c), ipsum admonere videtur , ne quemquam in Sacros Ordines cooptet, qui non sit spectatis moribus, illis verbis:
Manus cito nemini imposueris ; quamvis alii sentiant, orationis seriem in dicto capite id potius spectare , quod fiebat in absolutione, ita ut moneretur Timotheus, ne nimis cito ad communionem recipere eos, qui subjecti erant Censuris ; hoc enim modo poterat Timotheus fieri particeps peccatorum alienorum: quae verba, post prius adlata, immediate sequuntur.

III. De-

(a) Lib.vii. cap.xxxxix. (b) Actor.vi.6. -- viii
 17. -- xiii.2. -- I.Timoth.iv.15. -- II.Tim.i.6.
 (c) I.Timot.v. 22.

III. Demum impositione manuum confirmabantur maturiore aetate , qui antea baptizati fuerant , ut constat ex *Acto. viii. 17.* Tunc imponebant manus super illos ; & accipiebant Spiritum-Sanctum ; quam manus impositionem Confirmationis causa factam fuisse , vel ex eo certum est , quia proxime secuta est ea ceremonia conversionem & Baptismum eorum , in quorum gratiam adhibita est : *Cum autem audissent Apostoli , qui erant Jerosolymae , quod receperisset Samaria verbum Dei , miserunt ad eos Petrum & Joannem , qui cum venissent , oraverunt pro ipsis , ut acciperent Spiritum-Sanctum . Nondum enim in quemquam illorum venerat , sed baptizat tantum erant in nomine Domini Iesu (a) .* Haec verba optime convenient Confirmationi , quae ad solos Ecclesiae Rectores pertinebat , nec committebatur inferioribus Ministris , qualis erat Philip-
pus Diaconus , qui Samariae degebat . Sic etiam videtur Paullus imposuisse manum Ephesiis Discipulis *Acto. XIX. 5,*

B 3 & 6.

(a) *Acto. viii. 14.*

¶ 6. *Quibus, cum baptizati fuissent; manus imposuit Paulus, &c.*

Hactenus circa initia, admiscendi oleo Opopalsamum pro confiendo Sacro Chrismate, & Inunctionis, ac manuum impositionis Ritum, Heterodoxorum cogenite impudentia, vagati sumus: nunc e diverticulo in viam.

Ex iis, quae diximus, non obscure deducitur, admisionem Opopalsami cum oleo non esse de necessitate Sacramenti, nec praecepti Divini, sed tantum Ecclesiastici; id quod etiam ex eo constat, ut recte advertit *Gaspar Juenin* (a), quod Innocentius Papa III. rogatus ab Hiliensi Episcopo (b), utrum iteranda esset Confirmatio cuiusdam hominis, qui per errorem oleo simplici in fronte fuerit obsignatus, sic respondet (c): *In talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omnissimum: super quibus verbis haec scribit Guilielmus Etius*

(a) *In comment. Hist. & Dogm. de Sacram.* Differt.
111. cap. IV. art. 111. (b) *Anno MCCV.*
(c) *Cap. Pastoralis, de Sacram. non iterand.*

Stius(a): Dicens non esse iterandum, sed supplendum, plane significat fuisse Sacramentum, Et proinde Chrisma; quatenus Balsami admissionem includit, non fuisse adejus substantiam necessarium, alioquin enim iterandum fuisse, quod prius factum non subsistebat: sicut esset iterum baptizandus, qui non in aqua, sed in vino fuisse baptizatus.

Immo & Canonistae non pauci, olim hanc Unctionem ad Confirmationis Sacramentum necessariam & essentialem non esse putabant, ut resert Petrus Cardinalis Aureolus (b); inquit enim, suis temporibus gravem fuisse inter Theologos & Canonistas ea de re controversiam: Tenent enim, ita scribit(c) Theologi, quod Chrisma est de essentia Sacramenti, sicut aqua est de essentia Baptismi, Et tunc dicunt consequenter, quod Papa non potest immutare, faciendo, quod hoc Sacramentum fieret in alia materia. Brucardus autem, Et alii Doctores Canonicci te-

B 4 nent

(a) In IV. Sentent. dist. VII. §. VIII. (b) Flor. seculo XIV: anno MCCCXXI. (c) In IV. Dist. VI. quæst. I.

nent oppositum, Et quod Papa similiter posset dispensare: Et eorum motivum est, quia quod in tali materia fieret Sacramentum Confirmationis non fuit traditum a Christo, nec ab Apostolis praecepit observari, sed fuit statutum ab antiquis Conciliis; talia autem immutari possunt auctoritate Papae. Et quamvis ipse met Aureolus hanc Canonistarum sententiam cum Theologorum dogmate conciliare conatur, eam autem usque adeo non refellit, ut in illa sua conciliatione idem fere docere videatur: statuit enim diserte l.c. *Chrisma non aliter esse de substantia hujus Sacramenti, quam manus esse de substantia hominis: nam sicut homo curens manu, est quidem homo, tamen non integer: sic in Confirmatione, si non adhibetur Chrisma, est quidem Sacramentum, non tamen integrum.* . Et Copink(a) ex Marsilio(b) idem, quod Aureolus narrat: docuisse nimirum olim, quosdam Canonistas, sufficere ad essentium hujus Sacramenti solam impositionem

ma-

(a) *De Sacram. qu. Lxxii. Assert. ii. dub. i.*(b) *In iv. qu. v. art. i.*

manuum sine ulla unctione. Hinc *Estius* in IV. *Distin.* vii. §. vii. ait: *Communio rem esse sententiam, Apostolos initio suae prædicationis non usos fuisse Chrismate in administratione hujus Sacramenti;* proptereaque probabile putat; eodem tempore manus impositionem locum materiae tenuisse, orationem locum formæ; idque, subiungit, *Decreto Florentino congruere*, in quo legitur: *quod loco illius manus impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum-Sanctum, in Ecclesia datur Confirmatio* (a). Id, quod etiā innuit *Synodus Moguntina* (b) cap. xviii, in quo Ecclesiarum Rectoribus injungit, *ut diligenter populum instruant, cur hoc Sacramentum ab initio sola manu impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorum traditione adhibita Chrismatis unctione cooperit conferri.*

Insuper commisionem Opobalsamum cum oleo in Chrismate esse tantum de
ne-

(a) *Vide tamen in prædictum locum Estii, quae eruditissimus Anonymus adnotat in Editione Neapolitana, quae nuper prodiit: necnon Auctores, quos ibidem laudat, ea de re fuse pertractantes.*

(b) *Celebr. Anno MDXLIX.*

necessitate praecepti Ecclesiastici, constat etiam: quia SS. PP. materiam Sacramenti Confirmationis frequenter oleum simpliciter adpellant, ut *Tertullianus* (a), *S. Augustinus* (b), & alii: Opobalsamum itaque non censebant ad essentiam Sacramenti necessarium.

Nec verba, quae profert Episcopus inungendo in fronte Confirmandum, *Chrismo te Chrismate salutis*, postulant, ut Opobalsamum oleo sit admistum, ut eorum constet veritas, quasi sine hac admistione Chrisma non esset: nam *Chrisma* in genere Unctionem, seu Unguentum significat. Unde & *Innocentius I.* in *Epist. ad Decentium*, *Euglibinum Episcopum* (c), Oleum Infirmorum, cui Opobalsamum non admiscetur, *Chrisma* vocavit; & *S. Augustinus lib. xvii. de Civit. Dei cap. x.* ait: *In Veteri Testamento Reges Christi vocabantur, Chrismate illo mystico consecrati*: ubi nomine *Chrismatis*, oleum merum, quo

Re-

(a) Lib. i. cont. Marc. Haer. cap. xiv. quos libros, qui sunt v, anno CCVII post ejus laffum si ripxit Tertull.

(b) Lib. xv. de Trinit. cap. xvi. -- Lib. v. contra Donatistas cap. xx. -- Tract. cxviii. in Joan.

(c) e. an. CDXVII, vel XVIII. junta Greg. Holoaid.

Reges olim inungebantur, significat. Plura circa hanc controversiam lege apud laudatum *Estium l.c.*, *Cajetanum (a)*, & *Dominicum Sotum (b)*.

Quod ad praefatam vero Confirmationis formam adtinet, in qua Chrifma *salutis* adpellatur, est advertendum contra Calvinum, quod egregie notat *Lindanus (c)*, Chrifma salutis dici, non quod Ecclesia Spiritus-Sancti discipula operetur citra illud, nempe Confirmationis Sacramentum, ne mini salutem posse constare, sed tantum, quod eam hanc medium promoveat, juvet, atque perficiat. Sicuti salutem a Christo in Baptismate acceptam, Episcopus sui officii, nominisque memor, docendo, exhortando, gregique invigilando promovet, conservat, atque adauget, si D. Paullo credimus, qui Et Timotheum se se, suosque salvos futurum citra omnem Christi Salvatoris injuriam affirmat I. Timoth. iv. Quid quod Divus Paullus tot adeo locis sibi alio-

(a) iii. part. quaeſt. Lxxii. art. i, & ii.

(b) In v. ſent. Dist. vii. qu. un. art. ii.

(c) Panopiae Evang. lib. iv. cap. xxxiiii. in fine.

*aliorum adtribuit salutem : si quo modo
eorum aliquos salvos faciam. Rom. II. Ita
Lindanus.*

Chrisma vero ex Opopbalsamo & oleo confectum, tum apud Occidentales, tum apud Orientales peculiari benedictione ab Episcopo consecratur, qui Ritus antiquissimus est, cuius nullum reperitur initium, ut scribit praelaudatus *Gaspar Juenin l.c.* Unde ex Apostolica traditione illum nos habere dicendum est, ut innuit *S.Basilius lib.de Spiritu-Sancto, cap. xxvi i.Benedicimus, inquit, Baptismatis aquam, & Unctionis oleum : quibus vero scripturis edociti? nonne in secreta, & silenti traditione?*

Erravit ergo *Theodorus magnae Ecclesiae Constantinopolitanae Lector* (a) scribēs: Petrum Fullonem, qui circa Annū CCCCLXXI aetatem agebat, & Euthychianam Haeresim professus est, Synodumque Calchedonensem II, & Oecumenicam IV (b) impugnavit, insti-

(a) *Flor. seculo VI. l.circa ann. DXVIII. Lib. II. sive Histor. Eccles.* (b) *Celebr. Anno CCCCLI. sub Leone I. Pont.*

tuisse, ut Sacrum Chrisma in Ecclesia coram omni populo consecraretur; nisi forte ejus verba, ut advertit *Edmundus Martene* (a), non de consécratione ipsa Chrismatis, sed de consécrationis publica solennitate, intelligi possint.

Ex hac Chrismatis benedictione, seu consécratione *Alexander de Hales* (b) in sua *Summa Theologiae*, Confirmationis Sacramētū de illorum numero a Christo Domino institutorum non esse, praeferunt probare conatur: Haec enim fateretur *P. i v . q . i x . memb . i . art . i .* *Chrisma ideo ab Episcopo consecrandum esse, quia non est a Christo institutum, neque a Christo vim accepit.* Et clarius *i . c . memb . i . adserit: Hoc Sacramentum non fuisse a Domino institutum, nec dispensatum, neque ab Apostolis: Apostolos enim in*

Con-

(a) In *Tract.de Antiq.Eccles.Discipl.in Divin.ce-lebr.officiis, cap.xxii. §.iii.* (b) *Flor. seculc XIII. circa an. MCCXXX. suam Theologicam summam Innocentii IV. Pont.jussu scripsit, ut refert Bellarminus lib. de Script. Ecclesiast. illamque deinde Alexander Papa IV. Diplomate, & LXX. Virorum Ecclesiasticorum Syngraphis comprobavit, ut scribit Antonius Possevinus in Apparatu Sacro.*

Confirmatione usos esse sola impositione manuum sine Sacramento: sed postea institutum esse hoc Sacramentum in Concilio Meldensi (a), quantum ad formam vorborum, & materiam elementarem, eique Spiritum-Sanctum contulisse virtutem sanctificandi. Et memb. II. art. I. §. I. in Resol. subiungit: Ut igitur in hoc Sacramento effet aliquid materiale figurans rem illius, sicut in aliis Sacramentis, conveniens fuit, ut forma Apostolorum mutaretur. Et rursum eod.art. §. III. dicit: Christum hoc Sacramentum non instituisse, nec ei vim dedisse. Cui sententiae ejus discipulus S. Bonaventura consentit adserendo (b): Christum non instituisse hoc Sacramentum Confirmationis, neque viventibus abhuc Apostolis institutum esse, sed post obitum Apostolorum materiam & formam hujus Sacra-

men-

(a) *Celebr. anno DCCCXLV. Kal. Junii sub Sergio Papa II. Sotus autem in IV. Dist. VII. art. I. refert, Alios Doctores Aurelianensi Synodo hanc institutionem tribuisse; non exprimit tamen, in qua ex quinque Aurelianensi Synodis, quae omnes seculo VI. celebratae fuerunt, id statutum fuisse Scriptores adserant.* (b) *In IV. sent. Dist. VII. art. I. qu. I. & qu. II.*

menti ab ipsis Ecclesiae Rectoribus, di-
stante Spiritu-Sancto, instituta esse. Ja-
cobus vero Cardinalis a Vitriaco (a) in
Hist. Occidentali cap. xxxvii, de Confir-
matione verba faciens, parum ab *Alexan-
dro*, & *S. Bonaventura* dissentit. Haec
enim loco relato scribit: *Hoc Sacramen-
tum institutum est partim ab Apostolis,
quantum ad manus impositionem, partim
ab Ecclesia, quantum ad Unctionem Chri-
statis, quod non legimus Apostolos fecisse.*
Et Petrus Cardinalis Aureolus (b) tamet-
si interdum aliter vel definiat, vel certe
definire videatur, idem, quod *Jacobus a
Vitriaco* his verbis scripsit (c): *Ista Un-
ctione per gratiam, quae est descensus Spir-
itus-Sancti in suis donis, in primitiva Ec-
clesia, scilicet tempore Apostolorum, com-
muniter fiebat in duobus signis, scilicet
in apparitione ignis descendenteris, & dono
linguarum: Ecclesia ergo, quia non sem-
per potuit talia habere signa, siccirco con-
grue instituit signa communia pro omni-
tem.*

(a) *Flor. seculo XIII. circa ann. MCCX.*

(b) *Flor. seculo XIV. circa ann. MCCCXXI.*

(c) *In I V. Dist. VI. qu. 1. art. un. prop. 1.*

*tempore illis signis correspondentia, taliā
sunt oleum, & Balsamum. Ex quibus pa-
tet, ipsum quoque quantum ad Chrisma-
tis Unctionem, Ecclesiae tribuisse hujus
Sacramenti institutionem. Horum forte
Doctorum opinionem secuta est una ex
antiquis Synodibus Beneventanis Pro-
vincialibus (a); in ea quippe haec haben-
tur: *Quinque vero de diis Sacramentis
ab ipso Deo instituta fuerunt, scilicet
Baptismus, Sacer Ordo, Eucharistia,
Poenitentia, Matrimonium: alia vero,
scilicet Confirmatio, Extrema Unctio,
fuerunt Divino instinctu ab Apostolis
introducta.**

At vero tantorum pace Doctorum
cum Universali Ecclesia satendum est,
praefatum Sacramentum, sicut & cetera
a Chri-

(a) *Concilium Provinc. Beneventanum VI. habitum
mense Aprilis MCCCLXXIV. sub Ugone Guidar-
dio Archiep. hujus nominis II. Tit. III. cap. II. ut
legitur in Synodico Sanctae Beneventanensis Ecclesiae,
cura, labore, & studio Fr. Vincentii Mariae
Ordinis Praedic. Gard. Ursini Archiep. collecto, &
notis illustr. fol. LXXXV. ubi ad praefata verba
in margine notat: Juxta opinionem Antiquorum
loquitur hoc Concilium, quia alias contra-
rium definitur in Concilio Tridentino, &c.*

a Christo Domino fuisse institutum, ejusque usum, ut ex Traditione accepimus, ab Ecclesiae incunabulis, ad hanc usque aetatem perdurasse, ut fuse contra *Dialectum*, ostendit praeclarissimus *Natalis Alexander in sua Histor. Ecclesiast.* (a). Quando autem a Christo fuit ordinatum inter se variant Doctores; nobis tamen adridet modofati *Gasperis Ivenin* sensus; qui *l. c. Dissert. IIII. qu. 12.* probat post Resurrectionem à Christo Domino fuisse institutum, cui etiam videtur adsentire *Natalis Alexander l.c. & in sua Theol. Dogm. Et morali* (b), ubi haec scribit: *Confirmationem a Christo fuisse institutam non ab Apostolis, aut ab Ecclesia, quia instituere novum Sacramentum, inquit S.Thomas, pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo. Instituit autem in ultima Coena Spiritum-Sanctum Apostolis promittens, eosque Ritum hujus Sacramenti docens: SI-
VE POST RESURRECTIONEM, loquens cum Apostolis de Regno Dei, ac*

C idem

(a) *Seculo II. Dissert. x.* (b) *Lib. II. Tract. III. cap. 1. prop. un. in respons. ad 1. object.*

idem promissum confirmans , quamvis istud Sacramentum , per se ipsum non administraverit , sicut Eucaristiam , & Ordinem . Hic Sancti Thomae sensus est , cum ait : Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo , sed promittendo , secundum illud Joannis xvii: Si non ubjero Paracletus non veniet ad vos . Et hoc ideo , quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus-Sancti , que non erat danda ante Christi Resurrectionem & Ascensionem , secundum illud Joann . vii . non dumerat Spiritus datus , quia Jesus non dum erat glorificatus . Videatur etiam quid super hoc scribit dectissimus Estius in iv. diss . viii . § . iv . ubi magis Sancti Thomae sensum dilucidat .

Ex benedictione item Opobalsami & Olei , non potest inferri , propterea non esse Confirmationis Sacramētūm a Christo Domino institutūm . I. quia etiam Panis in ultima Coena , antequam in ejus Corpus transubstantiaret Christus Dominus , illum benedixit , ut ex *Evangel.* habemus(a) , nec ideo negatur , vel negari potest .

(a) Matth . xxvi . 26 . Marci xiv . 22 .

test , Eucharistiam esse Sacramentum a Christo institutum, quia etiam nunc a Sacerdotibus ante Consecrationem Panis benedicitur ad Christi imitationem .

II. Quia , ut egregie probat praefatus *Gaspar Ivenin l.c. Dissert. III. cap. v. art. II.* Chrismatis consecratio , seu benedictio , nō est necessaria necessitate Sacramenti , sed Ecclesiastici tantum; ex nullo enim Patrum textu evinci potest Chrisma commune , seu non consecratum Sacramentum non esse satis , si tamen cum manuum impositione , quae est inadequata Confirmationis materia coniunctum sit . Insuper ex nullo capite potest colligi Divinum de Chrismate consecrando praceptum : non quidem ex illius antiquitate , cum admisionem aquae cum vino in Altaris Sacrificio , semper , & ubique adhibitam fuisse exploratum sit , & tamen ex universali , & perpetuo illo usu , eam a Christo praeceptam fuisse , nemo Theologus concludit . Tandem cum omnia Graecorum *Euchologia* , ac Latinorum *Pontificalia* , eam de qua agitur Chrismatis consecrationem praecipient : jure sal-

C 2 tem

tem Ecclesiastico necessaria sit op̄aret. Haec Ivenin.

Quare autem Chrisma consacretur, rationem adfert Optatus Milevitanus
 (a) lib.vii.adversus Donatistas: Ut, scilicet, Oleum Confirmatorium per preces virtutem ex Christi meritis accipiat.

Tandem sciēdum hoc Confirmationis Sacramentum institutum fuisse, ut Spiritus-Sanctus ad robur conferatur, quo instructi hostibus Fidei, tum internis, tum externis intrepide obsistamus. Hinc Petrus Daniel Huetius scribit (b): ex Unione firmandis infantium & pugilum

cor-

-
- (a) *Floruit seculo IV .circa an. CCCLXVIII, & Milevitaniā Ecclesiam in Numidia rexit sub Valentiano & Valentino Princ. Praefatum VII. librum adversus Donatistas, nonnulli ejus non esse suspicantur, ex eo quia Hieronymus, non nisi sex contra Donatistas libros ab Optato scriptos memorat, quin & ipsem Optatus lib. i. propositi sui rationem reddens se rem sex libris absoluturum esse promittit. Insuper quia praed. vii. lib. longe a praecedentibus stilo discrepet, & contraria nonnunquam dogmata in medium producit; unde antiqui quidem, ab Optato tamen diversi, autoris opus esse censent. Alii vero ejus fuisse putant, aliquandiu tamen post sex priores libros ab eo eluebr.*
- (b) *In Almetanis quæst. de Concordia rationis, & filiei. lib. ii. cap. xx. n. i.*

*corporibus adhiberi solita, provenit Chri-
sma Sacrae Confirmationis, quo delibuti
Christiani adversus Dei hostes invicti
sture possint. Deinde subjungit (a), Usum
liniendorum infantium, Et pugilum ro-
borandi corporis caussa, in Sacramentum
Confirmationis mutavit Deus. Notatus
est a Guleno (b), mos ille ungendorum in-
fantium pugilum ab omnibus. Ceterum
in Sacris Mithrae, frontes initiatorum
Religionis caussa fuisse signatas testatur
Tertullianus (c); nunc quoque solemni
quodam Confirmationis Ritu paeros se-
ptennes legi suac mancipant Persae cul-
tores ignis: teneros ipsos infantes Brach-
manes, litis Sacra Unione frontibus.*

Faceant vero Blaterones Heterodo-
xi (d), qui Caco-Daemonis afflatu dicere
ausi sunt, praefatam doctrinam de Spir-
itus-Sancti acceptance per Sacram Chri-
smatis Unctionem, manuumque imposi-

C 3 tio-

(a) Num. ii. (b) De Valetud. lib. i. & ii.

(c) Lib. de praescript. Haeret. cap. XL, quem post la-
psum scripsit circa ann. nempe CCVII.

(d) Martinus Chemnicius in Exam. Concilii Tri-
dent. ad Examen Canon. de Confirmatione,

tionem ex *Montanici Paracleti* schola prodiisse; eo quia illud, quod *Tertullianus lib. de Baptismo adversus Quintilium* scribit (a) Montanicum esse velint: inquit enim; ajunt, eos, qui baptizantur in aquis non cōsequi Spiritum-Sanctum, sed in aqua mundatos sub Angelis tantum praeparari Spiritui-Sancto, qui demum postquam egressi sint de lavacro per benedictam Unctionem, & impositiō nem manus advocetur, & invitetur. At quam inepta sit hujusmodi observatio, cuilibet sanae mentis manifestum est. **Quis enim unquam in Catholica Ecclesia**

fia

(a) *Tertullianus ad Montani dogma prolapsus est in seculi II. exitu circa ann. scilicet CXCIX, ut advertit Cave. Praefatum autem de Baptismo librum ante lapsus scripsisse Eruditii omnes fatentur. Hinc in edit. Operum ejus juxta Pamelii, aliorumque correctionem cum notis ex Salmasio, Rhenano, aliisque desumptis in not. ad cap. vii. laudati libri, ut ad Catholicum sensum ea, quae scribit avocentur legitur: Christiatis multiplex notio in Scriptoribus, alii de Confirmatione, quae ab Episcopo tantum administratur in Ecclesia Latina, alii de Vnctione, quae fit ubi parvulus baptizatur intelligunt. De posteriori hac Vnctione locus hic accipitur, quae fit a Sacerdote in vertice, cum alia, seu Confirmatis ab Episcopo fiat in fronte.*

sia docuit per Rēgēnerationis & Renova-
tionis lavacrum non effundi , & quidem
opulente Spiritum-Sanctum? Id enim sa-
tis constat ex Sacrae Scripturāe verbis,
Joan. III. 5. Ad Ephes. v. 26. ex quibus
hoc eleganter probat *Sanctus Hiero-*
nymus(a) in Dialogo aduersus Luciferia-
nos. Quid autem efficiat Unctio , & ma-
nus impositio in Confirmationis Sacra-
mento , docet *Sanctus Hilarius Arela-*
tensis(b) Homilia in Pentecoste, ubi prae-
adsertam , tametsi ridiculam , difficulta-
tem praevidentis , inquit : *Sed quia dixi-*
mus, quod manus impositio, & Confirma-
tio ei, qui jam renatus est in Christo con-
ferre aliquid posset, forte cogitat sibi ali-
quis: Quid mihi prodest post mysterium
baptismatis, ministerium confirmantis?
Aut quantum video non totum de fonte
fuscepimus, si post fontem adiectione no-
vi generis indigemus? Non ita est Dil-

C 4 Etif-

(a) *Flor. seculo IV. c.an.CCCLXXVIII.*

(b) *Flor. seculo V. t.an.CCCXXX. De hujus S. Do-*
ctoris Homiliis in singulas Anni Festivitates, quæ
inter ejus Opera connumerantur ab Autore, qui
ejus vitam descripsit, & apud Surium extat die v.
Aprilis. Vide quæ scribunt Eruditi.

Sic enim exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in milicium receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturam. Ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adjumenta militiae. Numquid prodest si quisquam parentum, magnam parvulo conferat facultatem; nisi providere studeat & tutor rem? Ita Paracletus regeneratis in Christo, & Consolator & Tutor est: Ideo dicit Sermo Divinus(a): Nisi Dominus custodierit Civitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam. Ergo Spiritus-Sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad Innocentiam, in Confirmatione augumentum praestat ad gratiam. Ex his ergo patet alienam prorsus esse Catholicae Ecclesiae doctrinam de Spiritus-Sancti receptione per Chrisma tis Unctionem; manuumque impositionem in Confirmationis Sacramento ab illa Montani sectatorum.

Atque

(a) Psalm. cxxvi. 1.

Atque haec dicta sunt de usus in Sancta Ecclesia in Chrismatis confectione Opopobalsami cum Oleo origine, Unctio- nisque cum manuum impositione Ritu in Confirmationis Sacramento. Progressum modo ad examinandum cuius speciei Opopobalsamum ex iis, quae nunc habemus ad praefatam confectionem requiratur, & ut recto procedamus ordine, prius de Opopobalsamo in genere, deinde in specie differamus oportet.

BALSAMUM itaque Graecis βάλσαμον, quod ad ejus etymon spectat, cum e Judaea exterae Gentes acceperint non displicet *Joan. Gerardo Vossio* in ejus Etym. sic ob praestantiam vocari, quasi בָּשָׂמָן *Babhal Seemen*, idest Princeps, seu *Dominus Olei*. Hoc autem nomine vocatur arbor, cuius succus οποβάλσαμον *Opopobalsamon* dicitur, succus nempe, seu *liquor olei*, componitur enim ex ορώς, idest *succus, humor, coagulum,* & βάλσαμον, quod illam arbusculam designat ipsum Balsami succum producentem, quae arbuscula, seu lignum Balsami ξυλοβάλσαμον *Xilobalsamon* adpellatur

tur a ξύλον, quod est lignum, ut *Servius*
 (a) & *Isidorus* (b) monent. Et lingua Puni-
 ca praeformatum lignitum, seu plantam
Balsamex, idest *Coeli donum* dicitur, ut
 notat *Ulysses Aldrovandus* (c); Fructus
 vero Balsami Καρπόβαλσαμον *Carpobal-*
samon nominatur, ut videre est apud
Dioscoridem, & *Gulenum*.

Hanc plantam olim tantum in Iudea
 reperiri credebatur, ut scribit *Plinius* (d):
Balsamum uni Terrarum Judeae conces-
sum est, quondam in duobus tuntum
bortis utroque Regio, altero jugerū xx.
non amplius, altero pauciorum. Idem-
 que Autor narrat (e) Vespasianum Ju-
 daea capta, Balsamum nunquam alias vi-
 sam arborem in Triumpho ostendisse, ut
 erat Romanorum Imperatorum usus, qui,
 si quid visendum, & memorabile, atque
 aeo priore incognitum in devicta Pro-
 vincia fuisset, velut rem spectatissimam
 novo invento, una in Triumphis adferre
 consueverant, ut refert *Alexander ab*
Ale-

(a) Ad II. *Georg.* (b) Lib. xvii. cap. viii.

(c) *Dendrologiae* lib. i. fol. L. lit. E.

(d) Lib. xi. cap. xxxv. (e) *Ibidem.*

Alexandro lib. vi. Dier. Genial. cap. vi.

Non aliter scribunt etiam *Dioscorides* & *Theophrastus*, qui ejusdem fere supratitatis *Plinii* verbis utitur: *Justinus itē Historic.* inquit: *In Iudea in Valle Jericho nascitur Balsamum quodam in loco, ubi Regule Palatum, & hortus Balsami reperitar.* Insuper legimus, quod in frequentibus illis Emporii Tyri nundinis, etiam Balsamum adfluebat, hocque ex Iudea perlatum, ut ex *Ezechielis* verbis (a) observare licet: *Juda, & Terra Israel ipsi Institores tui in fermento primo Balsamum, & mel, & oleum, & resinanam proposuerunt in nundinis tuis.* Ubi LXX de Balsamo non locuntur, sed de *עִירַת Unguentis, & Hebraicus Balsamum hic פָּנָגָה Pannagh* vocavit, uti legitur quoque apud *Joan. Linghi footum in Centuria Chorographica Mattheao praemissa cap. xxxvii*, in quo de Urbe Jericho loquendo scribit: *Finiatur hujus Urbis, & loci descriptio verbis Talmuldicis, Babylon Berachot fol. 43. i. מְשֹׁחָא דְּאֶפְרַסְמָא Quanam Orationis forma utuntur super*

(a) Cap. xxvii. 17.

per Balsamum? Benedictus sit, qui creavit unguentum Terrae nostrae, nam enatum est Jerichunte, & propter ejus odorem vocata est יְרִיחוֹ Jericho: illud autem est Pannag, de quo mentio in libro Ezechielis. Judah, & Terra Israelitica mercatores tui, erant in tritico, Minnith, & Pannag. Hoc vidi in libro Josephi ben Gerion. Et tandem Joseph. Hist. lib. Antiq. Judaic. fatetur: In adventu Reginae Sabae sub nomine Hester, in verbis Reginae beneficio Balsamum in Iudea propagatum, cum plätilas Balsami inter reliqua dona Salomonis vivas adspexit. Quia autem nonnulli ex Ethiopia, vel ex Egypto Balsamum adspexit credunt prælaudatam Reginam, doctissime advertit Samuel Bochartus(a), Balsamum Arabicum esse plantam, non Ethiopicam, eo quia nemo est, qui Balsami in Ethiopia natü meminerit, & quantum ad Egyptum, etsi feracem Balsami esse Dioscorides, & alii adserant: indigenam tamen plantam non fuisse, sed aliunde recens advectam,

quo

(a) In Geographia Sacra lib. II. cap. xxvi.

quo aevo scripsit *Dioscorides*: In Egy-
pto itaque, & Judaea ex Arabia Felici
Balsami plantae pervenerunt, unde ibi
patrium solum earum esse, ut inter Ve-
teres testantur *Diodorus Siculus* (a), &
Pausanias; (b) Ex Neotoricis vero *Petrus Bellonius* (c), *Andreas Chiochus* (d), *Joannes Ponas* (e), aliisque praetermissis, *Caro-
lus Clusius* (f).

Praefatas Judeae, & Egypti Balsami
plantas, ex quibus verum, & optimum
Balsamū fluebat extinctas esse ob Jerufa-
lem excidia, proptereaque nullibi am-
plius exstare, non pauci, qui de Balsamo
scribunt, ostendere conantur, inter quos
praesertim *Amatus Lusitanus*, & *Nico-
laus Monardus Hispanus*, qua de caussā
adserunt aliud esse Opobalsami genus,
quod in Indiis nascitur, contra quos scri-
bit *Prosper Alpinus* in suo *Dialogo de
Balsamo*, ad quem Lectores remittimus.

Hic

(a) *Histor. lib. xvi.* (b) *In Boetica.* (c) *Lib. ii.
cap. xxxix. suarum Itiner. Observat.* (d) *In De-
scriptione Musaei Franc. Calceolarii Junior. cap.
de Opobalsamo.* (e) *Lib. de Balsamo.* (f) *Exotic.
lib. x. cap. ix, in Annot. ad Monardum de Balsa-
mo pag. ccciv.*

Hic tamen eruditionis gratia, quae de Balsani plantis in Egypto memoriae prodidit Petrus Martyr (a), adferre, e re nostra esse ducimus: scribit enim, tamquam testis oocularis, ibi fontem existare, e cuius aqua olim Balsametum rigabatur, in quo Christum infantulum a Virgine Matre ablutum fuisse, vetus Traditio habet, tam apud Christianos, quam apud Saracenos. Ad locum (quem nostra tempestate Mataraeam Incolae adpellant ab Urbe Cairi passuum millia circiter decem distat) eo tempore, quo Balsamum colligebatur, Soldani, relaxandi animi gratia se se quotannis conferebant; at nunc eo loci desertum est, eo quia tam pretiosi arbusta liquoris interierunt, sed incertum an Custodum incuria, an fraude, dolore, & invidia, an Religione, & pietate laesa, id acciderit. Quidam enim viridarii Custodes terram irrigando, male temperasse ajunt; ex fonte namque vivo puteali tamen in eo loco scaturienti aqua exhausta, arbusta illa rigabantur, & nutriebantur: neque enim ex simplici illa materia Balsa-

(a) Lib. III. Legationis Babilonicae.

simum constabat, quod non aliter ex perfractis, aut concisis ramis per stirias, & guttas cadentes colligebatur, quam ~~ex~~ —
 Vitium putaturis lacrymales guttae cadunt, cum apud nos verno tempore palmites inciduntur: sed nullam praeterea ejus fontis aquam transplantatis Balsami arbustis adhuc, ut nascerentur, aut adulteris, ut coalescerent profusisse umquam longo experimento comprobatum est. Immo, & cum in aliud solum transferrentur, eadem etiam aqua inde adsportata parum viguisse. Rex enim quondam Cyprius, nomine Jaches Caiabejo, Soldano permittente arbusta pauca, cupasque ipsas aqua plenas, quibus illa irrigaret in Cyprum adferri jussit, ubi neque Balsamum procreabant, neque frutices diu vixerunt.

Qui fraudem intervenisse censem, ajunt, id factum injectu panni mestruo infecti, cuius yeniferi vi arbusta Balsami radicitus enecta fuerint. Ast qui laesam pietatem credunt, ita praedicant, inquit *Martyr;* Cautum fuit semper priscorum Regum Soldanorum decreto, ne Judaicae Pro-

Provinciae quisquam Balsametum ingredere tur, ne quid ignominiosum in loci Numen perpetrarent, cum in eo fonte parvuli Jesu, quo tempore in Egypto latitavit, pannos, quibus involvebatur, Maria Virgo laverit, ubique arbusta germinabant, ibi soli siccandos expofuerit: Beatam namque Virginem Mauri obſervant, ejusque nomen religioſiſſime venerantur: Incautos igitur ad custodiā Soldani constitutos Oeconomos, Judaeum, qui ſe Maurum profitebatur admifſe, inquiunt, Judaeamque Uxorē ſuā, quam intromiſit, parvulum utriusque filium, linteaque infantuli in opprobrium Matris Christi in ipſo fonte immersiſſe, ac linteā ibidem ſiccanda protendiſſe volunt; quare terram, cuius virtute arbusta germinabant, fontemque cuius vigore rigata nutriebantur, illico post contumeliam vim ſuam amifſe, inhaefitanter adferunt. Utcumque ſit, omnia illa arbusta radicitus interiere, nec ullum ex eis exſtat vestigium. Haec narrat *Martyr*, qui initio Seculi XVI fatis ceſſit, de Balfami Egypti plantis.

Ex

Ex opposito vero Illustrissimus Princeps *Nicolaus Christophorus Radzivilus Dux Olicue, & Niesvizii Palatinus Vitnensis* qui anno MDLXXXII e Polonia egressus ; Venetiisque anno sequenti solvens, peregrinationem Jerosolymitanam iniit, & Aegyptum quoque lustravit, indicare videtur Balsami liquorem ferme ad illud tempus, quo in Aegypto erat durasse, ejusque plantas duos circiter cubitos altas esse: Immo subjungit : in Felici Arabia Imperatore Solimano procurante, Balsamum in copia provenire ex praefato Aegypti Balsameto, ut plurimum transplantatum: quod tamen a veritate longe abest: In Arabia enim, ut supra ostendimus, ne dum Balsami plantae semper existiterunt; verum ex eapte in Iudea, & Aegyptum translatae fuerunt. *Brendembachius* item Metropolitanae Mogutinae Ecclesiae Decanus in suo *Hodaeporico Jerosolymitano*, qui suam ad illa loca peregrinationem suscepit Anno MCCCCCLXXXIII scribit: Inter cetera in Aegypto visenda, vidisse quoque Balsami hortum, qui adhuc odoriferum illum liquorem reddebat, & de

D

fou-

fonte, quo plantae irrigantur idem, quod
~~Martyr~~ refert.

Nec observatione indignum est, quod tradit *Cardanus de subtilitate lib. xvii,* (a) circa putoem a praefatis Historicis memoratum, dicit enim, ex sola illa aqua Balsami plantas coalescere, eo quia cum putoem ille propinquus sit Nilo, cuius aqua tenuissima est, atque aereae substantiae, eadem imbuta certo bituminis genere, alere propterea est apta Balsami arbusta, non autem alia, nisi ei consimilis.

Quidquid autem sit de his, quae huc usque scripsimus, certum est postea pluribus in Orbis partibus repertas fuisse Balsami plantas. & nunc in utraque India non paucas inveniri, ex quibus Opobalsamum fluit, & ex Indiis in Europam quoque praefatas plantas delatas esse.

Tres autem Opobalsami species ex America hodie ad nos deferuntur: *Peruvianum* nempe, *Tolutanum*, & *de Copuiba*.

Peruvianum Opobalsamum, vulgo *Indicum nigrum* appellatum, ex inciso arboris, quam *Franciscus Hernández*

(a) Edit. Lugdun. M.DL.

dez (a) describit, cortice stillans, colora rufo ad nigrum vergente, sapore acri, & amaricante, fragantique odore. Illud tamen, quod in nostras Regiones adfertur ex ramis, & truncis arboris per coctionem extrahi *Nicolaus Monardus* advertit: Id quod etiam notat sub voce *Baume Aucto*r Dictionarii Universalis Gallico, latineque sermone Serenissimi Principis de Dombes jussu editi his verbis: *Mais les Indiens gardent le natural pour eux, & nous envoyoyent de l'artificiel, qu'ils font en faisant boillir le tronc, & les branches bûchées de cet arbre, & en arrasant avec une coquille l'huile, qui nage au dessus de cette décoction, & qui est de couleur noire, rougeâtre, & fort odoriferante.*

Tolutanum ex arboris Piniformis cortice vulnerato prodiens coloris est expadicei ad aureum vergentis, mediae inter liquidum, & densum speciei in principio; postea vero siccae consistentiae, saporis non ingrati, atque odoris excellentissimi, quod in nucum Indicarum putaminibus in Europam advehitur, & in Phar-

D 2 ma-

a) Lib. III. Histor. natur. Mexic. cap. xi.

macopeis, Balsamum Hispanticum siccum,
vulgo adpellatur.

Opobalsamum denique de *Copaiba*,
subindici albi epitheto notum, quod etiā
 ad praecedentium discrimen, *Brasiliense*
 vocare liceret, cum magna ejus in Brasí-
 lia copia ex arborum, quas *Georgius*
Marcgravius (a), & *Guillelmus Piso* (b)
 descripsérunt, ad medullam usque incisis,
 aut terebra perforatis, corticibus profluat.

Hujusmodi autem Balsamiferas India-
 rum, seu Novae Hispaniae arbores, trium
 esse specierum, advertit praelaudatus *U-*
llisses Aldrovandus (c), quarum I. Indige-
 narum illorum lingua : *Hoitziloxitl*,
 II. *Avaconex*, III. *Maripéndu* vocari.

Praeter relatas Opobalsami species,
 quae in celebri volumine, cui titulus :
Pharmacopeja Augustana renovata (d)
 referuntur, aliae duae in Pharmacopoliis
 inveniuntur. Altera, quae distillationis
 ope educitur, ut scribit *Moses Charas*
 Me-

(a) In *Histor. Plantar.* lib. III, cap. xvii,

(b) *Histor. natur. & Medic. Indiae Occident.* lib. IV,

cap. iv. (c) *Dendrologiae* lib. I. fol. cxvi. lit. E.

(d) *Augustae Vindelicorum* an. MDCCX, editi,

Medicus-Chymicus Regiae Majestatis Angliae(a). Altera, quae *Orientalis* nuncupatur, mihiq; ostendit praeclarissimus Vir Fr. Franciscus Vassallus in suo Pharmacopolio, quam ex Balsami plantis in *Mecha* Arabiae Felicis Urbe, & Maumethanicae superstitionis capite, exsistentibus fluere adseritur. His notatis ad controversiae decisionem descendamus.

Et sane verosimillimum, ne dicam certissimum est, quod si adtendamus verba *S.Gregorii Magni* Pontificis, qui, ut ostendimus illo seculo in vivis erat, quo usus in Ecclesia incepit admiscendi Opobalsamum cum oleo in Sacro Chrismate confiendo, Judaicum Opobalsamum praecise in dicta confectione necessarium esse, dicendum sit; cum, ut supra retulimus, praelaudatus Pontifex in *caput i. Cantic.* scribat: *In Engaddi Balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, &c.* quod etiam in dictum *cap. Cantic.* repetit *Venerabilis Beda: Engaddi enim, ut ex Hieronymo refert Carolus Ste-*

D 3 pba-

(a) Tom. iii. suor. Oper. cap. xx.

phanus (a) Vicus praegrandis Judaeorum est juxta mare mortuum: unde O-
pobalsum venit, quas Vineas Engaddi
Salomon in Canticis nominat, & idem
alibi: Engaddum ager est Terrae Judeae,
non tam vincis, quam Balsami florēs.
Idemque scribit Simonius in suo magno
Bibliae Dictionario Gallico sermone edi-
to, verbo Engaddi.

Hīs tamen non obstantibus adserendū
 est: modostos Sanctos Doctores, ideo de
 Judaico Opopalsamo ad Chrismatis con-
 fectionem, locutos fuisse, eo quia, ut re-
 cte advertit Sambovius: *soli Judeae con-*
cessas Balsami arbusculas olim credeba-
*tur; deinde vero, cum alibi, & praefer-
 tim in utriusque Indiae Regionibus re-
 pertae sint, ex quibus, quod exsudat ad
 nostras adsportatur, & Judaicnm Opopal-
 sam, ut non pauci memoriae tradide-
 runt, deperditum sit; nostris propterea
 temporibus ad Chrisma conficiendum In-
 dico uti debemus.*

Bonacina autem (b) docet: Remotam Sa-
cra-

(a) In suo Diction. Histor. Geogr. & Poet. ver. Engaddi

(b) Tom. 1. de Confism. disp. 111. q. un. pun. 111. pr. 1.

eramenti Confirmationis materiam esse Chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum admisto Balsamo cuiuscunq; locis. Et Conrinchius(a) scribit: Nota demum ad essentiam Sacramenti Confirmationis nihil referre: an sit Balsamum Palæstinæ, an Indicum, sicut non refert ad consecrationem: sitne vinum Rhenanum, an Graecum, rubrum, an album; etium si forte haec specie differant: Inde patet Paullum III, & Pium IV. non dispensasse cum Indis (ut quidam putant) ut liceret iis Balsamo Indico conficere Chrisma; sed tantum definitivisse illud Balsamum esse veram, & sufficientem materiam ad confiendum Chrisma.

Mihi tamen, ut verum fatear, tam facilis, & indistincta locutio prælaudatorū Doctorum, hac in re stabilienda, non adridet: In Sacramentis enim, conficiendis, tutioribus semper materiis uti debemus, quaeque magis ad mysteria exprimenda sint aptæ, juxta eorum institutionem, & quod praefertim adtinet ad Confirmationis Sacramentum, conformari, quātum

D 4 pos-

(a) De Sacram. qu. LXXII. art. III. dub. I. n. XL.

possibile est, nos debemus in Chrismate confiendo, quod est ejus materia remota, ut Doctores locuntur, ad usum illius aevi, quo Sancta Ecclesia Opopalsamum cum oleo misceri decrevit: Cum itaque ex *S. Gregorii, & Bedae* verbis Judaicum Opopalsamum, quod verum, & optimum ab omnibus Scriptoribus adseritur, illo tempore fuisse necessarium colligimus; si praefatum habere amplius non possumus, de illis speciebus, quae nunc apud nos sunt, meliorem, Judaicoque conformiorum eligere oportet, ut constat etiam ex eo, quod legitur in lib. de *Divin. Officiis Alcuino* adtributo, in quo habetur: *Conficitur Chrisma ex oleo mundissimo, & OPTIMO BALSAMO.* Quapropter adcurate scribunt complures Doctores, *Paullum III, & Pium IV.* vere cum Indis dispensasse, ut in Chrismate confiendo Indico Opopalsamo uti possent, sicut hodie, & nos in Judaici locum.

Dicimus ergo, ut Chrisma rite conficiatur, ex illis tribus Opopalsami speciebus, quae nunc ex Indiis advehuntur, secunda, *Tolutana*, nimirum, quod in nucum

In-

Indicarum pritaminibus in Europam de-
fertur , uti debent Sacri Praesules .

Et ratio evidentissima est , quia Opo-
balsamum ad Sacrum Chrisma conficien-
dum debet esse optimum , & non mistum ,
odorisque suavissimi , juxta illud Eccle-
siastici xxiv. 21. *Quasi Balsamum non*
mistum odor in eius, propter mysterium in
eo expressum ; denotat enim Fideles , quū
Sacramento Confirmationis perficiuntur ,
ut jam non sibi singulariter vivant , eam
virtutum omnium suavitatem effundere
oportere , ut cum Apostolo dicere pos-
sint (a) : *Christi bonus odor sumus*, ut su-
pra etiam diximus. At primae speciei O-
pobalsamum , nempe *Peruvianum* , quia ,
ut retulimus , per coctionem extractum
ad nostras pervenit Regiones , vere Opo-
balsamum dici non potest ; Opobalsamum
enim sincere appellatur , juxta ejus ety-
mon , quod ex Balsami plantis incisis na-
turaliter profluit : Cum ergo praedictum
ex ramis , & truncis per coctionem extra-
hatur , genuinum Opobalsamum non est ,
sed Balsami decoctione , adulterationis non

pa-

(a) II. Corinth. II. 15.

parum suspectum , ut advertit etiam *Prosper Alpinus in suo Dislango de Balsamo.* Insuper praefatum decoctum , nec Opopobalsami habet colorem , cum sit niger , qui color in Opopobalsamo , ut scribit idem *Alcuinus l.c. : Nunquam ab aliquo nostrorum, vel Arabum visum est , neque auditum;* & paulo post subjungit : *Illum etiam succum nigri coloris , qui ab Occidentalibus Indiis defertur, improprius Opopobalsum vocari .* Et rationem adferit : *quia in Occidentalibus Indiis ex procera, Es magna arbore nascitur , quae quidem magnitudine, figura, ramis , foliis , fructibus, a vera Balsami arbore longissime differt.* Sive ergo praeadserendum Opopobalsamum nigri coloris ex coctione confitum sit , sive sit succus , suspectissimum est , ac proinde nullimode ad Chrisma rite conficiendum aptum , & decens est .

Quantum ad tertiam adtinet speciem , ad illam nimirum, de Copuiba , seu Brasilianam ; non est suspicionis undequaque expers. I. quia praedictum Opopobalsamum **ex arboribus in Brasilia existentibus , & ad medullam usque incisis corticibus in**

magna copia profluit, ut scribunt supra-
citati *Marcgravius*, & *Piso*, & exprimit
quoque praelaudatus *Autor Dictionarii*
universalis, &c. his verbis : *Ce baume est*
fort clair, de la consistance, & de l'odeur
de l'huile de therebentine distillée : on en
tire quelque fois jusq' à douze liure dans
l'espace de trois heures. Cum *Dioscorides*
(a) referat, ex *Balsami plantis*, quae in Ju-
daea, & Aegypto oriebantur, & genuinae
ab omnibus agnoscuntur, aestivis sub or-
tu *Canis ardoribus*, ferreis unguibus in-
cisis, *tam exiguo stillatu succum*, seu *O-*
pobalsamum, manare, ut annis singulis
ne plures quidem, quam scni, septenive
congii cogantur, inibique pondus duplo
repeditur argento. II. quia in eo *Opo-*
pobalsamo nullam agnoscit ex qualitati-
bus genuini, quod in Arabia gignitur
(& idem est cum Judaico, & Aegyptiaco)
Joannes Veslingius in Vindiciis Opobal-
sami. Quapropter scribit, ex tribus ad-
sertis *Opobalsami speciebus*, secundam
tantum, illam nempe, quae in nucum In-
dicarum putaminibus advehitur, praeci-
pue

(a) *Lib. I. de Medicinali Materia cap. xviii.*

pue cum Arabico, & consequenter cum Judaico cognitionem habere. Et quidem - tamen si Tolutanum Opopobalsamum omnia ad unguem non habeat Arabici, vel Judaici Opopobalsami accidentia, quod ad colorem tamen adtinet, mellei nimirum obscurioris, ut scribit *Alpinus*, & quod ad saporem non ingratum, modice, scilicet gustum mordentis, ut advertit *Dioscorides*, & tandem quod ad odoris suavitatem, & excellentiam cum Judaico valde convenit, atque inter species, quas Opopobalsami nunc habemus, ut optimum putari debet, quapropter eo uti debent Sacri Praefules in Sacri Crismatis confectione in Judaici locum, quod *Sanctus Gregorius*, & *Venerabilis Beda* requirere videntur.

Et quidem praefata Opopobalsami specie, *Telutana* nimirum, in Chrismatis confectione usos fuisse Hispanos Episcopos Catholicorum Rituum, Ecclesiasticaeque Disciplinae observantissimos certissime constat ex *MS. Pontificali Conchensis Ecclesiae*, in quo sub Rubrica: *Institutione, quo ordine, & decore oporteat Epi-*

Episcopum Sanctum Chrisma confidere,
legitur (a): Tunc Balsami ampullu petatur alta voce a Diacono, & quasi cum Graphio particula ejus extrahitur, ut benedicatur. Et post Opobalsami benedictionem subjungit: Deinde suspenso sic Balsamo convertit Episcopus intentionem ad Oleum Chrismale, &c. & tandem Olei benedictione peracta, sequitur Executitur de Graphio intra oleum fortiter Balsamus, & cum igne cogitur distillare. Ex quibus patet Opobalsamum, quo praelaudati Praefules in Chrismatis confectione utebantur, liquidum sane non fuisse, ut est illud Peruvianum, aliaeque a nobis recensitae species, sed si non omnino durum, vel siccum, valde saltem densum, & ad duritiam vergens, ut est Tolutanum, quod tametsi Hyemali tempore sit durum, incipiente nihilominus Vere, atque per totum Aestivi temporis decursum, siccitatem illam, & duritiem, non modice relinquere observatur, uti est etiam,

(a) Apud Edmundum Martene in Tract. de Antiqu. Eccles. discipl. in Divin. Celebr. officiis cap. xxii.

etiam, cum recenter ab Indiis defertur. Si enim ex illis speciebus totaliter liquidis erat Opopobalsamum, quo Praesules in praefata Ecclesia utebantur, Graphio fane extrahi non potuisset, nec extractum in Graphio suspensum, ut ab Episcopo benedictionem reciperet, sustineri potuisset; nec tandem, ut distillaret, atque cum oleo misceretur, ignis ministerium fuisset necessarium.

Quod ad alias postremo Opopobalsami species adtinet, ad illam primirum per distillationem eductam, & ad aliam, quam Orientalem adpellant, & ex Mecca defertur, certum est adulterinas esse; unde prima a laudato *Mose Charas*, omnibus deterior dicitur: quinpe quae inter distillandum maxima parte odoris, & praestantissimarum virium exuitur. Secunda vero tam suspecta peritis Pharmacopolis est, praesertim praelaudato Fr. Francisco Vassallo, ut ejus vice in Theriacae confectione, ad quam Orientale Opopobalsamum inter cetera Phonica requiritur, Myristicarum nucum oleo utuntur. Haec sunt, quae circa pro-